



INDEX  
Alphabetico & Voluminis.

**A.**

De Enigmatis legum  
Apicibus juris. No: 2.  
Anno novi iustitia. 3.  
Angelorum iure. 16.  
Abentmagis drect. 22.  
Artifice voluptatis. 25.  
Asfermiluorse. 10.  
Abnasmed drecte. 18.  
Arboru iure. 34.  
27.

**B.**

De Baptismi iure 24.  
Baum drecte. 27.  
Blumen drecte. 26.  
Bono publico privatorum  
bonis preferendo. 38.  
Bonorum omnium iustitia 37.

**C.**

De Clypeo militari. No: 11.  
Circis signo, Kreuzzeit 15.  
Capite jejuniij Asfermilu 18.  
Canicularibus diebus. 21.  
Christfest drect. 23.  
Cana sacra iure. 25.  
conventionone prohibita Ma-  
gistratibus cum subditis. 28.  
collestarum iure. 36.  
culpa propria imputare 40.  
cenfu protestionis. 43.  
controverse Theres. 41.

**D.**

De diebus canicularibus. 21.  
Decanis. 30.  
Decremento. 19.  
Dignitatis puitinae memoria. 9.

**E.**

De Embria felici. 8.  
Eo quod pendet. 29.  
Embryonum iure. 35.  
Eides wiederseimgebung. 45.  
Engel drecte. 27.



XXVI.

D. A. G.

DISSERTATIONEM

DE

JVRE FLORVM,

Dom

Blumen = Rechte.

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO WILDVOGEL,

JCTO, SERENISSIMORVM FRATRVM DVCVM  
SAXO-VINARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO,  
PANDECTARVM PROFESSORE PVBLICO,  
CVRIAE PROVINCIALIS, NEC NON  
FACVLTATIS JVRIDICAE ET  
SCABINATVS ADSESSORE  
GRAVISSIMO.

IN ALMA SALANA

*Publicae placidaeque Eruditorum Disquisitioni  
submittit*

JOHANNESGEORGIVS DOEHLE R,

Isennac.

A. & R.

MENSE NOVEMBRI

AN. O. R. M DC. XCI.

---

IENAE, typis SAM, ADOLPH, MVLLERI.





1771

D. N. G.

DISSERTATIONEM

DE

IVRE FLORVM

Tom

Blumen - Rechte

PRÆSIDII

DR. CHRISTIANO WILDOGEL

ICTO, SERENISSIMORVM FRATRVM DVCV  
SAXO-VINARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO,  
PANDectarvm Professore Publico,  
Cvriae Provincialis, nec non  
Facultatis Iuridicæ et  
Scabini ad seore  
Gravissimo.

IN ALMA SALANA

Publicæ placidæque Eruditionis Disquisitioni  
Submittit

IOHANNESGEORGIVS DOEHLE R.

Leimac.

A. & R.

MENSE NOVEMBRI  
AN. O. R. M. DC. LXXI.

VENÆ, typis SAM. ADOLPH. MULLERI









sive de vitio rei venditæ exiguo accipiantur, utroque casu recte se habere sententiam, dubitandum non est. Si enim ad læsionem ratione quantitatis pretii referantur, id quod facere videtur Gothofredus *in not. ad d. l. n. 54. allegans l. 3. Et l. 8. C. de rescind. Vend.* ex toto *tit. ff. Et C. de rescind. Vend.* liquet, vilioris pretii in iudicio rationem non haberi, nisi sit infra dimidium veri rei valoris. Sin ad vitium rei, explicanda erunt per *l. 4. inf. de edil. edict.* ex qua constat, levem quandam vitiositatem ad causam edicti illius non pertinere. Atque hinc rem quamlibet minimam Prætorem non curare, in aprico est; imò si eiusmodi res in iudicium deduci nequit, multò minùs de eadem legem fuisse sancitã aut sanciri debere, porrò inde colligetur. Sic igitur inutilis prorsus nostra videbitur de Floribus eorumque jure disquisitio, cū de reb9 tractet, de quib9, imprimis campestres & sylvestres quod attinet flores, quonã in pretio sint, omnibus constat. Verum enim verò in jure quoq; civili, & aliis Pro-  
vin-



vinciarum constitutionibus, mentionem fieri  
florum tam hortensium quam campestrium,  
testis esse potest, tum ipse Imperator noster,  
tum ordinatio forestalis V Vürtembergica spe-  
ciatim de floribus sylvestribus disponens. Et  
ut aliqua saltem Jur. Civ. loca adducam, Justi-  
nianus Imp. in §. 31. *J. de R. D.* vocabulo plan-  
tæ usus, quicquid eorum nomine venire pot-  
est, flores, herbas, frutices, itemque arbores, &  
id genus alia eo comprehendere voluit. Planta  
enim, ut ait Servius, dicitur, quæ transferendi  
gratia vel de arboribus rupta, vel ex seminibus  
orta, itemque de herbis accipitur. *Pard. Prat.*  
*Lex. Jur. Verb. Planta.* Et Ulpianus *l. 12. §. 1. de*  
*usu & habit.* expressè de floribus sermonē facit,  
eorundemq; usū ei concedit, cui villæ usq; reli-  
ctus est: passim præterea in Jure deprehendim9  
viridariorū, in quib9 flores nutriuntur, mentio-  
nē fieri. E. g. in *l. 26. ff. de Instr. l. Instr. leg. l. 12.*  
*ff. de servit. Præd. urb. l. 13. §. 4. & 7. ff. de usufr.*  
&c. Quæ sanè leges flores inter minima nume-  
rādos haud esse, abūde testari possunt. Et si ulla  
A 2 unquam



unquā in tota hac mundi universitate reperitur  
res, in qua mirandū aliquid natura proposuit,  
in regno certè vegetabili primarium locum  
sibi poscunt flores, è quibus divinæ Majestatis  
potentia clarissimè elucet, sive copiam earum,  
sive originem, sive denique culturam, figu-  
ram, odorem, colorem, fructum, usum & in-  
numeras spectemus utilitates & voluptates.  
De florum copia Exc. Dn. Olaus Rudbeck. *in*  
*dissertatione de plantarum notitia acquirenda*  
*p. m. 5.* refert esse quosdam, qui herbaria sua  
viginti usque millia specierum differentium  
continere jaētitent. Et licet *cit. Auth.* ipse tan-  
tam affirmare multitudinem nolit, ad octo ta-  
men vel decem millia earundē numerum ex-  
tendit. Numerum verò exiguū florum nō esse,  
vel exinde constat, quod Caspar Bauhinus 40.  
annos in detegendis, inque ordinem redigen-  
dis plantis laborasse legitur. *vid. supr. cit.* Rud-  
beck. *p. m. 9.* Originem porrò plantarum, cul-  
turam, figuram, colorem, utilitates item ac  
voluptates, similiaque si spectemus, ultrò fate-

ma p. m.

s. A

ri



ri necessum habemus, inter admiranda divinæ  
potentiæ opera easdem locum obtinere haud  
postremum. De florum sanè figura atq; colore,  
egregium ipsa æterna veritas *Matth. VI. v. 29.*  
exhibet testimonium, illosque omni Salomo-  
nis Regiò splendori longissimè anteferen-  
dos esse dicit. Nec minus admiratione di-  
gnum est, quod de plantarum combusta-  
rum è suis cineribus artificiosâ resuscitatio-  
ne habet Exc. Dn. G. Francus in progr. suo,  
quo ad Floralia mense Majo 1680. instituenda  
artis herbariæ cultores invitat, eo ipso experi-  
mento, sicq; florum & plantarum, quibus ho-  
mines assimilantur, schemate carnis nostræ re-  
surrectionem, quam piè credimus, haud ab-  
surdè illustrans. Me igitur operæ pretium  
facturum credidi, si & Patriæ & Parenti-  
bus Studiorum meorum rationem reddere  
jussus, amœnissimam hanc materiam selige-  
rem, & in florum, egregiorum omnipotentia  
divinæ testiùm, Jura, quantum pro ingenii  
mei modulo licuit, inquirerem, atque dece-



dentē subindē autumnō, fugientibus, imō  
morientibus floribus epicedia canerem ul-  
timumque vale dicerem. Movet quippe  
materiæ amœnitas, licet facile colligere que-  
am, erudito lectori ob virium tenuitatem  
satisfacere me non posse. Nec præter exiguam  
aut collectionis, aut digestionis opellam  
quicquam mihi vindico. Id si tibi B.L. pla-  
cet, erit de quo mihi gratuler; sin minùs, fal-  
tem ut cœptum meum boni consulas, ex-  
peto. Ut verò recto procedam ordine, rem  
totam, qualis qualis est, quatuor includere  
capitibus placuit. Quorum I. inscriptio-  
nem dissertationis explicat, significationem  
item & acceptiones florum varias, eorum-  
que divisiones exhibet. II. agit de jure in  
re, & quid ratione illius justum sit circa flo-  
res, exponit. III. de jure ad rem, seu con-  
tractibus circa flores inire licitis ac solitis oc-  
cupatur. IV. de delictis circa flores tractat.  
Quod institutum ut benè cedat, divinum im-  
ploro auxilium.

CAP. I.



# CAP. I.

De

## Inscriptione hujus Dissertat. variaq; Florum Significatione & Divisione.

### SUMMARIA.

§. I. *Juris vocabulum variè accipitur.*

II. *Nec non nomen Florum.*

III. *Diverse Florum species.*

IV. *Referuntur ad res immobiles.*

§. I.

**R**ubrum dissertationis inscribitur de JURE FLO-  
RUM. Juris autem vocabulum variè usurpa-  
tur. Imprimis verò Hahn. *ad Wesenb. Parat.*  
*tit. de J. & J. num. 14.* decem annotavit ac-  
ceptiones, quod nim. (1) sumatur materialiter, pro  
objecto justitiæ, seu æquo illo & bono, quod justitia  
in rebus constituit, quodque iniquo opponitur. *arg. l. 32.*  
*ff. de Reb. Cred. l. 31. ff. Depos. l. 15. ff. de Ædil. Ed. l. 2. §. f.*  
*ff. de O. & A.* (2) materialiter itidem, sed latius  
pro justo seu Legitimo, h. e. pro eo quod Lege præscri-  
ptum eique consonans est, ut in *tit. ff. de ignor. Jur.*  
*& fact.* item in *c. jus generale. dist. 1.* (3) pro facul-  
tate alicui Jure competente, ut in definitione justiti-  
æ. *pr. l. de J. & J. l. 10. ff. eod.* (4) pro jussu, seu sancti-  
one, quæ justum præcipit: Unde variæ Juris divisiones  
in Divinum & humanum, Naturale, gentium & Civile,  
Pon-



Pontificium & Casareum. (5) pro Jure reddito & applicato, l. 2. §. 13. ff. de O. J. etiam quando prætor inique decernit. l. pen. d. J. & J. (6) pro loco, ubi Jus redditur. t. t. ff. de in Jus voc. l. 4. §. f. ff. de interr. in Jure fac. (7) pro potestate. t. t. J. de his qui sui vel al. jur. sunt. (8) pro rebus incorporalibus. tit. J. de reb. corp. & incorp. (9) pro titulo quo quid acquisitum. l. 10. ibi: non est necesse ei doceri de Jure, quo aqua constituta est. ff. si servit. vindicet. l. ult. ibi: tametsi jus. ff. de aqua & aquâ pluvia arcendâ. (10) pro ipsa arte seu Juris prudentia. rubr. Inst. & ff. junctâ l. 1. in pr. ff. de J. & J. Ne autem soli facem præferre remque toties actam agere velle videar, pluribus juris acceptationibus, aliisque derivationibus & divisionibus supersedeo, & illud tantum noto: Hoc loco jus tum in prima significatione sumi pro omni eo, quod æquum & justum est, tum etiam in tertiâ acceptatione, quod cuique secundum justitiæ LL. debetur, sive sit ex Jure in re, sive ex jure ad rem, quo Persona seu res aliqua nobis affecta est, idque vel ex conventionem vel ex delicto, prout explicat D. Fuchs. in Paraphr. J. h. modò tamen & hoc observetur, Flores hic non considerari ut subjectum juris, cui illud inharet, sed solum esse ejus objectum, circa quod homines jus exercent.

§. II. Floris vocabulum quod attinet, id ratione Etymologiæ primitivum est, & nulli alii suam debet originem. Ratione verò homonymiæ varias nactum est significationes. Et (1) quidem in proprio suo significatu idem est germanicè atq; eine Blume / Blûthe. Metaphoricè autem (2) significationes habet varias. Nam (a) optimum quodque denotat & præstantissimum, den bestē Kern: e.g. cum Flos Civitatis, vini, Poëtarum nominatur. it. Die



die höchste Stufe. *Flos dignitatis. Flos ætatis.* (β) Excerpta, apud Ciceron. *Ep. ad Attic. XI. Lib. XVI.* (γ) pro stellis usurpatum reperitur apud Manlium *Lib. V.* hisce Vers.

*Tunc conferta licet cœli fulgentia templa,  
Cernere seminibus densis, totisq; micare  
Floribus, ut sicca circum per litus arena.*

(δ) Flores communiter appellari consueverunt illæ bulbulæ seu spuma, quæ in angustiis vitris, premente bibentis respirantisque subinde aurâ, è cerevisiâ exurgere consueverunt, quod vulgò vocant *flores trincen.*

(ε) Dantur flores chymici, quando subtilior & nobilior pars separatur crassiori fece inferius relictâ, & conficiuntur ex Ammoniaco sale, antimonio, benzoe, hæmatite, Marte, Mercurio, argento vivo, sulphure &c. uti apud scriptores chymicos passim videre est. (ζ) apud Chirur- gos ulcera jamjam maturescentia florem nacta esse dicuntur. (η) inò & menses mulierum florem s. *die Blume* appellari communiter constat. (θ) tandem à contrario sensu inferre liceret, in ipso Jure virginitatem appellari florem, cum deflorare idem sit, ac virginitatis honore spoliare. *c. 25. caus. 27. q. 2.* & Catullus in Epithal. virginitatem florem appellans, inquit:

*Ut FLOS in septis secretus nascitur hortis*

*Ignotus pecori, nullo contusus aratro,*

*Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber*

*Multi illum pueri, multa optavere puella.*

*Idem cum tenui carptus defloruit ungui,*

*Nulli illum pueri, nulla optavere puella.*

*Sic virgo dum intacta manet, tum chara suis: sed*

*Cum castum amisit polluto corpore FLOREM*

*Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.*

B

§. III.



§. III. Florum propriè dictorum ferè Synonyma sunt Planta, herba, frutex. Et varios apud Botanicos habent divisiones. (1) ratione partium dividuntur in flores strictè sic dictos, herbas & radices. (2) resp. specierum in hortenses & sylvaticos seu campestres. (3) in uniformes & difformes, seu, ut alii volunt, regulares & irregulares. (4) in labiosos & racemosos seu barbatos & conglomeratos. (5) à fructificatione in angiospermos, qui nuda semina gestant, & capsulatos, qui semina capsulis inclusa fovent. De quibus omnibus videri potest Olaus Rudbek. *in Dissert. de Plantar. notitia acquirenda.* Add. D. Emanuel König. *in Regn. vegetab. Adr. Spigellii Isagog. in rem herbar. lib. I. c. 12.*

§. IV. Sed hæc leviter & in transitu saltem attingisse sufficiat, cùm florum varia divisio potius medicinam spectet, quam Jurisprudentiam. Hoc loco de floribus in genere agendum, inque eorum jura inquirendum erit. Constat autem ex §. *f. I. de J. N. G. & C.* Jus omne vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones spectare. Ad res quod attinet, illæ sunt vel corporales, quæ sua natura tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum: vel incorporales, quæ suâ naturâ tangi non possunt, qualia sunt ea quæ in jure consistunt, ut hereditas, ususfructus, obligationes quoquo modo contractæ. *l. 1. §. 1. ff. de R. D.* Corporales vicissim sunt vel mobiles vel immobiles. *l. 15. §. 2. ff. de Re Jud.* Res mobiles sunt, quæ manentes integræ vel salvæ de loco suo moveri ac in alium transferri commodè possunt: & hæc rursus dividuntur in se moventes & ab alio movendas. *l. 93. ff. de V. S. l. 1. ff. de Ædil. Edict.* Immobiles res sunt tales vel naturâ vel arte. Naturâ tales sunt, quæ



quæ naturâ suâ moveri nēqueunt, aut solo cohærent.  
Liegende Güther/ was Erd, Nied, und Nagel-fest ist.  
Arte seu civiliter tales sunt, quæ fictione juris pro tali-  
bus reputantur, de quibus latè vid. Illustris Dn. Struv.  
*Synt. J. Civ. Ex. III. tb. 82. 83. & seqq.* Ad res autem im-  
mobiles pertinent etiam fructus solo cohærentes ante-  
quam separentur, sunt enim pars fundi, *arg. §. 36. I. de*  
*R. D.* parique cum toto censentur jure: & ad hos quoque  
certo respectu referendi sunt flores, quatenus nimirum  
adhuc in terra continentur, & antequam decerpuntur.  
Utrumque autem casum, sive quatenus mobiles s. qua-  
tenus immobiles, consideraturi, pergimus ad

## CAP. II.

De

### Eo quod justum est circa Flo- res respectu Juris in Re.

#### SVMMARIA.

- I. *Juris in Re species.*
- II. *Acquisitio domini fit aut jure nat. aut civili.*
- III. *Jure naturali multis modis.*
- IV. *Per occupationem flores acquiruntur, & quomodo?*
- V. *Per specificationem, quomodo?*
- VI. *Per plantationem.*
- VII. *Servitus duplex.*
- VIII. *Ususfructus ratione florum constitui potest.*
- IX. *ut & Usus.*
- X. *Servitus realis, ut florem decerpere liceat, con-  
stitui nequit.*



*XI. In Servitute altius non tollendi viridaria habere licet, non it: in Servitute, ne prospectui officiat.*

*XII. Servitus prospectus florum causa locum habet.*

*XIII. Pignus in floribus constitui potest.*

*XIV. Et possessio.*

*XV. Est & hereditas florum.*

*XVI. Nec non legatum.*

*XVII. Circa quos adcrefcendi jus obtinet.*

*XVIII. & L. Falcidia.*

*XIX. Redigendi in Inventarium.*

*XX. Domo legata an viridaria debeantur?*

§. I.

**J**us Rerum duplex est, aut enim est Jus in Re aut Jus ad Rem seu obligatio, de qua Cap. seq. Jus in Re est facultas jure competens, quæ ipsi rei inhæret, adeoq; actionem rem ipsam, non personam, persequentem producit. *l. 25. ff. de O. & A. §. 1. de Act.* Hoc Jus vulgò quintuplex statuitur, (1) Dominium, (2) Servitus, (3) pignus, (4) possessio, (5) hereditas. *l. 13. §. 1. C. de Judic. l. 9. l. 10. l. 25. §. 18. de petit. hered.* Alii triplex statuunt Jus in Re, Dominium sc. latè sic dictum, quod sub se comprehendit servitutem & hereditatem, pignus & possessionem. *Illustr. Dn. Struv. Ex. III. th. 89.* Unde dominium rursus dispescitur in universale, hereditatem sc. & singulare, quod iterum vel rerum corporalium vel incorporalium est. *d. l.* De singulis V. speciebus seorsim.

§. II. Flores vel spontè prodeunt in campis, arvis, nemoribus &c. vel hominum industriâ plantantur in hortis, domibus, itemque viridariis extra tricliniorum fenestras.



fenestras. Hinc ratione Domini consideranda venit eorum Acquisitio. Singulorum autem hominum multis modis res fiunt. §. 2. *I. de R. D.* aut enim acquirimus Jure Naturali aut Civili. *dict.* §. Modi acquirendi J. N. varii à variis constituuntur. Alii duos, alii tres, alii quatuor, alii 18. alii 21. alii 23. alii plures, pauciores alii constituunt.

§. III. Qui duos esse volunt, reducunt eos vel ad factum nostrum seu occupationem, & ad rei nostræ vim ac potestatem Arnold. Vinn. *in Not. ad I. §. 11. de R. D.* Illustr. Dn. Struv. *Disp. XLI. Synt. Jur. Civ. Lauterb. Comp. Jur. de acquir. rer. dom. p. m. 895.* Qui tres, ad occupationem, accessionem & traditionem, vid. Martini *in annotat. ad I. h.* cum quo etiam facit Excell. Dn. Beier. Præceptor meus venerandus *in discursibus ad Colleg. Inst. & ff.* Qui quatuor, constituunt Occupationem, accessionem, specificationem & traditionem, ad quorum tres priores, reliquos commodè reduci posse statuunt. Vultej. *ad pr. I. h. t. n. 28.* & *in Jpr. Rom. lib. I. cap. 70.* Goed. *ad l. 23. n. 4. ff. de V. S.* Ludvvell. *Disp. ad J. 4. t. h. 5. b.* Perez. *in Erotem. Inst. h.* Fr. Frid. Andler. *Medulla Juris Inst. h.* Qui quinque, (1) Occupationem (2) fructuum ex re aliena perceptionem (3) accessionem (4) Confusionem (5) traditionem exhibent Jul. Pae. *Analys. Inst. ad §. 11. juncto. §. f. h. t.* Decem quoque modos ibi enumerat Pacius, *d. §. 11. & seq.* quos tamen ipse postea §. f. ad V. reducit. Petr. Corn. Brederod. *in Analys. Inst. h. t.* enumerat 21. alii plures. Verùm Rittersh. *Comm. ad I. §. 11. hic.* & D. Fuchs. *Paraphr. Inst.* ex ipso textu in 12. commodiùs reduci posse volunt, qui sunt: (1) Occupatio, (2) bellum seu spolia hostium, (3) Inventio, (4) foetura,  
B 3 (5) Allu-



(5) Alluvio, (6) Insula, (7) Specificatio, (8) Confusio & Commixtio, (9) Accessio, sub qua continetur plantatio & satio, (10) Perceptio fructuum, (11) Inventio thesauri, (12) Traditio.

§. IV. Qui modi acquirendi ex hisce applicari possint floribus, videbimus. Et primò quidem ratione florum campestrium & sylvestrium sese sistit occupatio & inventio, de quibus quæritur, an cuilibet illos in sylvis aut campis liceat decerpere & colligere? Ita quidem videtur, cum isti flores sint res naturâ nullius, (quinque enim modis res dicuntur nullius (1) naturâ, (2) facto hominis, (3) Casu, (4) tempore, (5) Censura. Magnif. Dn. Müller. *Jpr. Elem. Disp. 15. in Not. p. m. 114.* D. Fuchs. *Paraphr. Inst. ad §. 7. de R. D.*) res autem nullius seu communes sint, quæ actu spectant ad neminem, potentiâ verò ad omnes. Excell. Dn. Beier. *in Discursu ad Inst.* Exinde sequitur, cedere eos occupanti seu prius colligenti. Quod enim ante nullius est, (aliquando tamen alicujus fieri potest, ut itidem Exc. Dn. Beier.) id naturali ratione cedit occupanti. §. 11. 1. *de R. D.* Imò ad instar lapillorum & gemmarum statim fiunt inventoris. §. 18. 1. *d. t.* licet id hodiè in lapillis & iis quæ in littore maris inveniuntur mutatum, cum inter Regalia Principum hæc referantur Grot. *de J. B. & P. lib. 2. c. 8. n. 5.* Et in Borussia de succino taliter constitutum legitur *Preussisch Landr. L. 3. t. 1. art. 3. §. 3.* Circa flores autem in Sylvâ Thuringicâ, ubi saluberrimæ crescunt herbæ & flores, idem à subditis hodiernum observari floresq; collectos pharmacopœis ac chirurgis vendi, testatur Dn. Ahasv. Fritsch. *in Continuat. Thes. Besold. Verbo Blumen-Gesuch.* Imò esse hoc Jus universitati tanquã uni-



uni versitati competens, colligere licet ex Besold. *Thef. Pract. Voce Semaino*. Aliis in locis privilegio id tributum reperitur, ut in *Ordin. Forest. Württenb. art. XLIII*. Quin & in locis, ubi libera aliàs florum collectio est, tamen non licet ingredi hortum clausum vel sylvam clausam. Ex quo colligitur, non licere ingredi impunè agrum aut pratum alienum, florum colligendorum causâ, invito ejus domino, maximè quando fegetes jam prodiere aut fruges itemque gramina maturescunt, ne ista lædantur. Vid. *Gandr. lib. 2. art. 61. inf.* Hinc quoque patet, quid Juris sit circa collectionem florum in alluvione natorum, nimirum nec eos invito domino decerpi posse, cum cedant tanquam pars fundi domino. *arg. §. 36. l. de R. D.*

§. V. Circa specificationem quæritur, si ex alienis floribus aut medicamentum fiat, aut conserva, aut fertum, aut servia, cujus Dominio cedant? Et quoad prius, si sc. medicamentum aut conserva exinde facta sit, sine dubio respondendum videtur ex *§. 25. l. de R. D.* cum ad pristinum statum reduci non possit, eum esse dominum, qui fecit, ita tamen, ut pretium materiæ seu florum Domino eorundem restituatur. *L. 23. §. 5. ff. de R. V.* ad quem effectum alter actione in factum conveniri potest. Quoad posterius, cum in fertis aut serviis florum forma non immutetur, sed eadem maneat, respondendum ex *d. §. 25.* reverti eos ad Dominum materiæ, eosque repeti posse actione ad exhibendum. *d. l. 25. §. 5. ff. de R. V.* Circa commistionem florum, utpote si duorum flores in certa quantitate, aut eorum bulbi die *Blumen-Zwiebeln* / misti fuerint, quid Juris sit, peti potest ex *§. 28. l. de R. D.*

§. VI. Per



§. VI. Per plantationem acquiri flores, testatur §. 31. J. de R. D. §. 7. §. 13. ff. de A. R. D. Ubi tamen siue alienam plantam in meo solo, siue meam plantam in alieno solo posuerim, utroq; casu requiritur, ut illa radices egerit, terraque coaluerit: ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egerit, d. §. ratio verò rationis in eo consistit, quod in radicibus, quæ succum & alimenta ex terra trahunt, vita plantarum & arborum consistat. l. 3. §. 5. ff. arb. furt. cas. Quid verò si in confinio posita fuerint plantæ? Dicendum, utrique communes esse, ex supra allegatis textt. Jure tamen Communi & moribus plurimarum gentium obtinet, ut fructus ex ramis propendentibus cadentes, & rami ipsi vicini fundi possessori Jure Domini acquirantur, ita ut is eos etiam succidere possit. Quod & in Saxonia observatur. Pandr. lib. 2. art. 52. & ad plantas ac flores quoque in confinio positos potest applicari.

§. VII. Hæc de Dominio. Devenimus ad alteram Juris in Re speciem, nimirum Servitutes, in quibus uberius de floribus dicendi materia occurrit. Sunt autem Servitutes vel personales vel reales. Personales dicuntur, quando res aliena servit personæ. l. 1. ff. de Servitut. Illustr. Dn. Struv. Ex. XII. tb. 2. Reales, quando res rei: seu servitus rerum est jus duobus prædiis vicinis vel affinibus inhærens, quo alterius utilitas diminuitur, alterius verò augetur. l. 15. §. 1. de Servitut. l. 8. §. 1. b. Illustr. Struv. Ex. XIII. tb. 2.

§. IIX. Inter Servitutes personales primum sibi locum circa flores vindicat ususfructus. Cum enim flores suam habeant utilitatem, tum ratione ad aspectus & odo-



& odoris, unde tale prædium vel hortus in quo flores tantum nascuntur, *voluptate prædium* vel voluptarium vocatur. in *l. 13. §. 4. ff. de Usufr.* tum etiam respectu virtutis, quam in medicamentis habent, dubium non est, servitutem circa flores personalem, & sic eorum usumfructum in prædio quodam constitui posse. §. 2. *I. de Usufr.* Verum quia Ususfructus est Jus alienis rebus utendi fruendi salvâ earum substantiâ, indeque usufructuarius cavere cogitur (1) se usurum boni viri arbitrato (2) finito usufructu rem utendam fruendam datam in eodem statu restitutum. *t. t. ff. Usufr. quemadm. cav.* ac porro (3) inventarium conficere, aut si id neglexerit, id quod actor in usumfructum esse datum probaverit aut juraverit, restituere teneatur, *Richt. Dec. 19.* Ultrò sequitur, in prædio ejusmodi voluptario, non licere usufructuario viridaria, hoc est loca florum, *die Blumen-Beete* / dejicere, ut fortè hortos olitorios faciat, vel aliud quid, facere, quod ad reditum spectet. *d. l. 13. §. 4. ff. de Usufr.* licet vel maximè per hoc meliorem proprietatis causam reddat, (quod ipsi tamen aliàs permissum est) idq; ob generalitatem prohibitionis in *l. fin. ff. de usu & habit.* Sequitur & inde, nec illi, cui ususfructus adium legatus est, viridaria ad alium modum convertere permissum. *d. l. 13. §. 7. ff. eod.*

§. IX. Usumfructum excipit Usus, qui est Jus utendi alienis rebus ad usum quotidianum pro necessitate, salvâ tamen rerum substantiâ. Et hoc jus etiam in floribus constitui potest, *l. 1. & l. 2. ff. de usu & habit.* Sed quæritur: An is etiam floribus uti possit, cui usus tantum prædii alicujus constitutus est? quod affirm. in *l. 12. §. 1. ff. de usu & habit.* non tamen ad com-

C

pendi-



pendium, sed ad usum scilicet, non usque ad abusum, *d. l. hoc est*, notante Gothofr. *ib. n. 42.* non ut vendat, sed ut ipse utatur, vendere enim posse est abuti. An autem floribus eodem in loco uti debeat, an verò eosdem secum in oppidum aut aliò deferre possit? decidit Jctus *in d. l. 12. §. 1. in f.* & melius, dicit, esse accipere, ut in oppidum deferantur: neque enim grave est onus horum, si abundant in fundo.

§. X. Absolutis Servitutibus personalibus, quæ circa flores considerandæ veniunt, succedunt in ordine Reales. Et primò quidem sese offert quæstio, an Servitus realis constitui possit, ut florem decerpere liceat? quod negandum per *l. 8. pr. ff. de Servitut.* cum hæc Servitus personalis potius sit, quam realis: Servitus enim realis dicitur, quando prædium prædio servit, sive ut D. Fuchs. *in Paraphr. Inst. de Servit. præd. rust. & urb. & Rittersh. d. l.* habent, Servitus rerum seu realis, est Jus duobus prædiis vicinis & affinibus inhærens, quo alterius utilitas diminuitur, alterius verò augetur. In proposito autem specie non prædii sed personæ ratio habetur, quare servitus realis hæc appellari nequit, imò nec usus vel usufructus, uti habet Gothofr. *in notis ad cit. leg. n. 29.*

§. XI. Ad Servitutes reales porrò spectat Servitus altius non tollendi, quâ quis in vicinarum ædium utilitatem cogitur ædes suas habere depressoas. Servitutum hanc altius non tollendi ædes suas patiens, viridaria tamen *Blumen-Nesche/ Würgarten* supra eam altitudinem habere potest. *l. 12. ff. de Servitut. præd. urb.* Aliud obtinet, in Servitute ne prospectui officiat, quæ est Servitus, qua quis in prædio suo non potest quicquam facere, quod libero quaquaversum prospectui in qua-

vis



vis loca nobis grata & amoena obftet, *l. 15. l. 23. ff. de S. P. U.* Tali igitur servitute constitutâ, quæritur an alter, qui servitute debet, possit viridaria supra altitudinem ædium suarum habere? Et respondetur ex alleg. *l. 12. ff. de usu & habit.* quod id minimè liceat; si sc. ista viridaria sint obstatura prospectui. Id namque ipsa natura dictæ servitutis suppeditat, quippe quæ in hunc finem constituitur, ne quid prospectui objiciatur, secus ac in servitute altius non tollendi, quæ plerumque luminis saltem ratione constituitur. *l. 15. 16. ff. h. t.*

§. XII. Differt ab hac servitute, servitus prospectus, seu prospiciendi, quâ vicinus pati tenetur, & impedire nequit, ut nos prospiciamus ex nostris ædibus in ejus prædium, §. 2. *J. de Act.* E. locum quam maximè invenit hæc servitus in locis, qui amœnitate suâ præ aliis adspicientium oculos delectant, quales sunt horti variis floribus per annum vernantibus consiti. Hanc igitur voluptatem ne vicino invidere liceat, conventionem effici potest; atq; idem de prospectu maris, re omnium gratissima, per Legem publicam constituit Imperat. *in Nov. 63.* vid. Gudelin. *d. Jur. noviss. lib. 2. cap. 1.*

§. XIII. Hæc de Dominio & Servitute. Reliqua Jura in Re, pignus sc. possessionem & hereditatē floribus quoque applicari posse dubium non est. Et Pignus quidem propter generalitatē textus in *l. f. C. quæ res pign. obl.* præsertim cum talis prohibitio, quæ arma militum, *l. 14. §. 1. ff. de re milit.* feudum *II. F. 13.* fundum dotalem, *l. un. §. 15. C. de rei ux. act.* oppignerare vetat, circa Flores non inveniatur sancita: imò hypothecam propriè sic dictam, quæ sc. est immobilium, etiam in floribus locum habere putamus, cum flores certo respectu annume-



rentur immobilibus, per supra deducta. Hinc si intereat pignus, aut deterioretur, modo id non fiat creditoris dolo aut lata culpa, quæ æquiparatur dolo. *l. 8. §. 3. ff. de Precar. l. 1. §. 5. ff. de O. & A. l. 23. ff. de R. J.* Creditor nihil præstat. *d. l. 23. ff. de R. J.* Res enim perit suo domino. *l. 6. l. 9. C. de Pignorat. act.*

§. XIV. Possessionem, (quæ vel naturalis est, ut nuda detentio, quâ quis rem tenet animo quidem sibi habendi, sed absque opinione dominii. *l. 13. §. 1. de Public. in rem act.* vel civilis, quâ quis rem tenet animo & opinione dominii *d. l. 13. §. 1. l. 22. §. 1. de Noxal. act.* Illustr. Dn. Struv. *Diss. XLII. th. 5. 6. 7.*) florum constitui, eosque possideri posse, liquet ex *l. 3. pr. ff. h. t. l. 32. §. 1. de Servitut. præd. urb. l. 23. §. 2. ff. ex quibus caus. maj. l. 10. si serv. vind.* Dividitur aliàs in veram seu propriè sic dictam, rerum sc. corporalium, & analogicam, rerum videlicet incorporalium seu Jurium. *l. 4. §. 27. ff. de Usurp. l. 3. §. 17. ff. de vi & vi arm.* Lauterb. *Comp. Jur. de Acquir. vel omitt. poss. p. m. 907.* Et cum possessor rerum immobilium à satisfatione liberetur. *l. 15. pr. junct. a. §. 7. d. l. ff. qui satisf. cog. §. 2. l. h. t.* etiam ratione hortorum solum voluptariorum quem à satisfatione liberari, concludo.

§. XV. Hereditatem denique florum esse, probatur inde, quod hereditas sit successio in universum jus & universa bona quæ defunctus habuit. *l. 62. ff. de R. J. l. 37. ff. de acquir. vel omitt. hered.* Inter quæ & flores numerari oportet. Omne enim, seu, quod idem est, universum qui dicit, nihil excludit *l. 68. pr. de leg. 3. l. 13. C. mand.* unde qui florum heres institutus, cætera verò tanquam legata aut fideicommissa, particularia scil.,  
restit-



restituere iussus est, querela inofficiosi agere non potest. N. 115. c. 3. *Et seq.* Sed ad supplementum Legitimæ, si quidem testator illam præstari iussit, agere potest actione ex testamento, sin minus, conditione ex Lege. d. N. 115. c. 5. Lauterb. *Comp. Jur. tit. de inoff. test. p. m. 178.*

§. XVI. In usufructu legato quid juris sit, peti potest ex his quæ suprâ diximus. Sed & proprietatem florum per legatum aut fideicommissum (cùm fideicommissis, particularibus scilicet, legata hodiè exæquata sint. l. 1. de leg. 1. l. 2. C. Comm. de legat. §. 3. *J. de leg.*) relinqui posse, testes sunt §. 21. *J. h. l. 41. de leg. 1.* quin & flores seu viridaria alterius §. 1. *J. de sing. reb. per fideicom. relict.*

§. XVII. Verùm si uni simpliciter proprietas, alteri usufructus florum seu viridariorum legatus sit, in usufructu ambo concurrunt. l. 19. l. 26. §. 1. ff. de usu *Et usufr. legat.* Carpzov. p. 3. c. 13. d. 7. Obtinet quoque circa flores legatos aut viridaria per fideicommissa relicta jus accrescendi, quod est jus, quo portio vacans adjicitur & accrescit conjuncto, qui partem suam agnovit, ad conservandam heredis individuitatem & testatoris voluntatem. Lauterb. *Comp. Jur. p. m. 825.* cùm & testator hosce legatarios, quos ad flores seu viridaria vocavit, potiùs sibi invicem quàm heredem succedere voluit. l. 61. in f. de leg. 2.

§. XIX. Tandem & quartas Legitimam & Falcidiam seu Trebellianicam, floribus & viridariis legatis aut per fideicommissum relictis, heredem detrahere posse, probant. l. 4. C. l. 28. 68. 89. pr. ff. ad leg. falcid. §. 7. *J. de fideicom. hered.* Ast quæritur, an filius heres institutus fideicommissis aut legatis gravatus, ultra quartam legitimam etiam Falcidiam à floribus seu viridariis



relictis deducere possit? Jure Civ. id quidem negatur *l. 6. C. ad SCtum Trebell. l. 24. C. fam. hercisc. l. 91. ff. ad leg. falcid.* Jure verò Canonico affirmatur. *Cap. Raynutius. 16. & c. Raynaldus. 18. de test. & ult. volunt.* Id quod usu fori comprobatur. *Gail. 2. Obs. 119. n. 9. & Obs. 121. n. 6. Sande. l. 4. Dec. 7. def. 3. & 4. Carpz. 6. Resp. 113. n. 21.*

§ XIX. Quoniam verò ad hoc, ut detractio Falcidia locum habeat, confectio inventarii requiritur, illudque ab herede fideicommissario edi debet. *l. 37. & 54. in f. ff. ad SCt. Trebell. l. fin. §. cum igitur. C. de jur. delib. arg. l. 8. ff. de acquir. hered.* Hinc quæritur, an heres in inventario flores quoque in hortis crescentes & plantatos, unà cum aliis rebus annotare teneatur, ita ut his omissis Inventarium non reputetur perfectum? Quod affirmandum duco, si quidem flores sint pretiosi, & vel maximam vel haud contemnendam hereditatis partem constituent, ob generalitatem *l. fin. §. 1. C. de jur. delib.* & quoniam tam mobiles quam immobiles res hereditariæ specificè sunt describendæ. *Treutler. Vol. II. Disp. 12. tb. 8. lit. f.* Accedit, quod ex floribus etiam, tanquam rebus hereditariis, quartam falcidiam detrahi posse, dixerim, quod sanè fieri nequit, nisi & flores in hereditate reperti, designati fuerint & descripti.

§. XX. De Viridariis autem, (quæ & viridia in *l. 15. §. 1. ff. de Servitut. l. 3. ff. de Servit. præd. urb. l. 79. ff. in f. de V. S.* item viridiaria *l. 8. §. 1. ff. de inst. vel instr. leg.* appellantur) Doliis sc. illis & vasibus fictilibus, cupreis, ligneis aut plumbeis in quibus terrâ aggestâ flores nutriuntur, Labeo & Trebatius quærun, an sint ædium? *l. 26. pr. ff. de Instr. & Instrum. Leg.* idq; affirmat Javolenus, si sc. ita alligata sint ædibus, ut ibi perpetuò posita sint. Hinc



Hinc domo legata, etiam viridaria debentur. *l. 91. §. p. ff. de Leg. 3.* Cùm additamentum sive accessorium sequatur suum principale: quam regulam etiam in immobilibus procedere asserit Gothofred. *in not. ad h. l. n. 31.* Hortus enim ædibus & amœnitatis & salubritatis causa ut plurimum adjicitur. *id. ibid. add. Berlich. P. 2. Dec. 191. n. 3. & n. 45. seqq.* Considerato nunc Jure Florum in Re, progredimur ordine ad

### CAP. III.

De

## Jure Florum ad Rem seu de Contractibus circa flores inire licitis ac solitis.

#### SUMMARIA.

- §. I. *Obligatio vel naturalis est, vel civilis.*
- II. *Mutuum in floribus obtinet.*
- III. *Ut & certo respectu Commodatum.*
- IV. *Nec non Depositum.*
- V. *Et Pignus.*
- VI. *Stipulari quis potest flores, modò sint in rerum natura.*
- VII. *Literarum verò Obligatio ad flores non pertinet.*
- VIII. *Emtio Venditio circa flores.*
- IX. *Quorum pretium pro ratione circumstantiarum variat.*
- X. *Vesanum florum commercium apud Batarvos.*

XI. *Am*



XI. *An Rescissio emtionis ob enorme pretium florum locum habeat?*

XII. *In locatione horti quid circa casum fortuitum juris?*

XIII. *Societas florum iniri potest.*

XIV. *Et mandatum de floribus suscipi.*

XV. *Contractus quoque innominatus celebrari.*

§. I.

**J**us ad Rem seu obligatio est Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ *pr. 7. de Obl.* Dividitur vulgò obligatio in Naturalem, Civilem & Mixtam. Naturalem dicunt eam, quæ oritur ex negotio per se & naturâ suâ ad producendam actionem apto, ita ut naturæ Jure actionem gigneret, sed quæ à Jure Civili ita limitatur, ut quamdiu sola est, in foro Civili actionem seu exactionem parere nequit. *l. 13. l. 19. l. 38. l. 41. l. 64. ff. de Cond. indeb. l. 10. ff. de O. & A. l. 1. ff. de Novat.* Civilem vocant vinculum solius Juris Civilis, quo quis ita adstringitur, ut competat quidem in eum actio, sed inefficax, id est talis, quæ per exceptionem oppositam Jure Prætorio infirmetur. *l. 3. §. 1. ff. de Const. pec.* Mixtam appellant illam quam antea, *ex pr. 1. de Obl.* definivimus, explicante Fuchsis *in Paraphr. Inst. hic.* Verùm hanc trimembrem divisionem rejiciunt Illustris Dn. Struv. *Ex. VI. th. 12.* Ungebaur. *Ex. Just. X. q. 2. in nego.* & simplicem obligationem seu merè civilem non agnoscunt: quoniam & ista obligatio, quæ exceptione eliditur, ipso Jure civili, naturale comprehendente, subsistit, & demum per exceptiones infirmatur, adeoque, in concursu utriusque tam civilis quam



quàm naturalis, civile potiùs vinculum subsit, ideoque ab eo, tanquam potiore denominari oporteat. Conf. Dn. Strauch. *Diss. 12. th. 2. § 3.* Schnob. *Diss. 22. th. 14.* Lauterb. *p. m. 986. § 987.*

§. II. Civilis obligatio, prout obligationem naturalem sub se comprehendit secundum supra cit. Ungebauerum, quam alii mixtam vocant, contrahitur aut Re, aut Verbis, aut Literis, aut Consensu. §. *f. 1. de Obl. Re* contrahitur obligatio (1) Mutui datione, *pr. 1. quibus m. re contr. obl.* Est autem mutuum contractus realis, quo res, pondere, numero ac mensurâ constans, adeoque fungibilis, ad hoc datur, ut accipientis fiat, & tantundem ejusdem generis ac qualitatis reddatur. *l. 2. §. 1. § 3. ff. de R. Cred. pr. 1. q. m. re contr. obl.* Dn. Struv. *Ex. XVI. th. 5.* Hinc qui flores mutuatus est, v. c. tulipas, rosas, non easdem restituere (ut in commodato) tenetur, sed alios ejusdem generis flores. *arg. l. 2. l. 3. ff. de Reb. Cred. modò eis insit idem valor & proportio justa. l. 1. ff. de Contr. emt. l. 99. ff. de Solut.* Quod & facere tenetur mutuanus, licet flores interierint, cum eorum dominus factus sit, res autem pereat suo domino. *l. 9. C. de Pign. act.* Atq; repeti illi possunt condicti certi ex mutuo. *pr. 1. de obl.* Huc refertur certo modo indebiti solutio, unde oritur condictio indebiti *t. t. ff. de Cond. Ind.* quâ & flores per errorem indebitè in solutum datos repeti posse dubium non est.

§. III. Realium Contractuum (2) est Commodatum, quo gratis alicui rem utendam ad certum modum & tempus concedimus, ut finito usu eadem nobis in specie restituatur. Hic contractus circa flores aut prorsus celebrari non potest secundum *l. 3. §. ult.*

D

§ 1.



§. l. 4. ff. commod. aut rarissimè, certo nimirum casu, si v. g. herbae vel flores aut sint arefacti, aut non statim consumantur, aut eorum usus ad perbreve tempus constituatur.

§. IV. Re contrahitur obligatio (3) Deposito, quod est rei vel litigiosae vel non litigiosae. Rei litigiosae depositum alio nomine dicitur Sequestratio. l. 6. l. 12. §. 2. l. 17. §. 1. ff. depof. Rei non litigiosae depositum, quod propriè contractus est, dicitur, quando alicui rem gratis custodiendam & asservendam committo, ut eandem mihi in specie, quandocunque repetere libuerit, restituat. l. 1. ff. depof. Utroque casu flores & viridaria in deposito esse possunt. §. 3. J. q. m. re contr. obl. l. 17. §. 2. ff. depof. exindeq; repeti queunt actione depositi directa simplici aut sequestraria. §. 3. J. q. m. re contr. obl. l. 12. §. 2. b. t. Ratione verò amissionis & deteriorationis solum dolum, non autem culpam, nisi latam, praestat depositarius, cum suae facilitati imputare debeat, qui negligenti amico rem custodiendam tradidit. d. §. 3. l. qu. mod. re cont.

§. V. Pignore deniq; (4) contrahitur obligatio, quando debitor in securitatem crediti rem creditori tradit, ut eandem soluto debito restituat: quem etiam contractum circa flores celebrari posse supra jam ostensum fuit in cap. preced. §. II.

§. VI. Verbis contracta obligatio dicitur Stipulatio, quae est contractus nominatus, solenni interrogatione & responsione constans, pr. l. de V. O. estque duplex, dandi sc. & faciendi. Dari dicuntur res, fieri verò facta. Duplex inde proficiscitur actio, condictio nimirum certi, si certa sit stipulatio, & ex stipulatu si incerta, d. pr. J. Omnis autem res in stipulationem deducit



deduci potest, siue sit mobilis s. immobilis, *pr. §. de Inutil. Stip.* modò in rerù naturâ sit, aut esse possit. Hinc quæstio moveri potest, si flores quis stipuletur in hyeme, an illi actio ex stipulatu detur? Id quod nego, inutilis enim est stipulatio rerum, quæ in rerù natura non sunt. *§. 1. §. de inutil. Stip.* nec præstandum erit quod per rerum naturam præstari nequit, cum impossibile nulla sit obligatio. *l. 185. ff. de R. §.* Tandem cum verbis contrahatur stipulatio, patet, quòd muto aut surdo in horto deambulanti & fortè flores seu viridaria, **einen Blumen-Stock / oder Scherbe mit Blumen** appetenti, licet per signa de iis consequendis certior factus fuerit, deneganda tamen prorsus sit actio ex stipulatu. *§. 7. §. de inutil. stip.*

§. VII. Literis contrahitur obligatio, cum quis per chirographum seu scripturam spe futuræ numerationis factus est, se mutuum accepisse, quamvis nihil ipsi numeratum sit, indeq; elapso certo tempore obligatur, & debere incipit. Licet autem textus in *§. un. §. de Lit. Obl.* hunc contractum ad pecuniam restringere videatur, super floribus tamen eundem etiam celebrari posse, adferendum est, cum Pecuniæ nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res, tam foli, quàm mobiles, & tam corpora quàm jura continentur, *l. 222. de V. S.*

§. IIX. Consensu contrahuntur obligationes (a) per Emptionem venditionem, quæ est contractus consensu initus, de re pro pretio certo alteri tradendâ. Ubi primo statim loco notare lubet, quod vendito horto, vel alio quodam modo in alium translato, viridaria quoque, siue receptacula illa, in quibus flores nutriuntur, unà cum ipsis floribus in illis nutritis, vendita  
D 2 & trans-



& translata haberi debeant. Licet enim flores, & vasa illa, in quibus flores plantati sunt, regulariter mobilibus accenseantur rebus, & cum ipso fundo, nisi id speciatim inter contrahentes actum fuerit, ad novum possessorem non transeant; secus tamen est in illis mobilibus, quæ usus perpetui causa prædico sunt destinatæ, inque illud inductæ *l. 17. §. 11. ff. d. act. empt. l. 7. ff. d. t. l. 12. §. 24. ff. de instr. & instrum. leg.* Talia autem etiam esse receptacula illa florum, seu viridaria in horto reposita, nullus planè ambigo.

§. IX. Pretium florum quod attinet, debet id esse non solum certum, *l. 25. §. 1. de contr. empt* sed & prætereà justum ac rei emtæ æquivalens. Justum autem pretium secundum Hahn. *in not. ad Wesenb. tit. de empt. vend. n. 12. vers. item si contra.* dupliciter dicitur. Uno quippe modo denotat *legitimum seu legale*, quod à superiore est statutum, consideratâ rei qualitate, omnibusq; probè ponderatis circumstantiis: cujusmodi pretium in antiquâ Romanorum Republ. carnî constituebatur à Præfecto Urbi, quippe ad quem cura carnis, ut justo pretio præberetur, nec non cura fori suarii, cæterorumque pecorum, quæ ad hujusmodi præbitionem spectant, pertinebat, *l. 1. §. 11. ff. de offic. præf. Urb. Add. II. Feud. 27. §. 4.* Altero modo significat *vulgare & naturale*, seu fori pretium, quod scilicet juxta communem hominum æstimationem constituitur, *arg. l. pretia. 63. ff. ad L. Falcid.* Cæterùm, cùm tale pretium naturale haudquaquam certum sit atque perpetuum, sed pro temporis, loci ac personarum conditione modò augeatur, modò diminuatur, idem quoque circa flores eorumque pretium cognoscendum aut definiendum obtinet;



net. Certè illorum raritatem majorem eisdem conciliare valorem, dubium non est, quemadmodum omne quod rarum est, plus appeti dicitur, *in can. 2. dist. 59. Et can. 4. caus. 4. qu. 7.* Quin & tempus efficere potest, ut pluri veneat flos, atq; aliàs valiturus esset, veluti in hanc rem eleganter admodum Martialis canit *Lib. 1. Epigram.*

*Rara juvant, primis sic major gratia pomis:  
Hybernae pretium sic meruere ROSÆ.*

§. X. Absit tamen, ut inde licentiam demus Florum aestimatoribus pro lubitu eorum pretium augendi, ac in immensum extendendi: Namque intra limites debet se continere valoris incrementum, & justa semper subesse inter Flores & eorum pretium proportio. Hinc meritò miramur non solùm sed & damnamus insaniam illam, quæ quondam Belgas invaserat, enormi planè & ingenti nummorum quantitate flores, præsertim Tulipas, ementes & vendentes, de quibus D. Casp. Ziegler. *de Jur. Majest. l. 1. cap. 41. §. 68.* ita scribit: *Nulla autem vel vitiosior unquam, vel vesana magis, vel damnosa magis extitit negotiatio, quàm ea, quæ ante paucos annos inter Batavos circa Flores, & eos imprimis, quos Tulipanos dicunt, magno gentium deridiculo fuit frequentata, ac pergit: vix credet posteritas tantam hujus seculi fatuitatem & deliramenta, præsertim ubi legerit, quæ de hac negotiatione prodidit Meteranus Novus sub anno 1638. lib. 55.* Ex quo eodem Meterano refert Marquardus *de Jur. Merc. l. 2. c. 1. n. 82.* *Daß allerley Leute sich auff den Tulipan- oder Blumen-Handel geleet / also / daß die Weiber ihre Webe-Stühle und alles was sie*

D 3

ge-





gehabt / zu Gelde gemacht / theils ihre Häuser und  
andere immobilia verkaufft / Capitalia auffgekündi-  
get / und auf solchen Handel verwendet / so gar / daß  
eine Blume sonsten semper Augustus genandt / in an-  
no 1633. oder 34. um 2000. Niederländische Gilden  
oder 800. Thlr. paar Geld verkaufft worden / aber  
ums Jahr Christi 1637. für kein Geld mehr zu kauffen  
gewesen / dieweil derselben Blumen nur 2. damahls /  
wie man sagte / zu bekommen gewesen / als die eine zu  
Amsterdam / die andere zu Harlem. Hinc lepidam  
de pretioso jentaculo historiam ex Antenor. in Salom.  
cap. 10. recenset Martin. Zeiler. in Miscell. p. m. 29. his  
verbis : Ein Kauffmann zu Amsterdam hat eine  
Zwiebel von einer Tulipan um 500. Holländische  
Gilden gekaufft / als Er hernach einen Bothsman /  
der Ihm etliche frembde Waaren gebracht / einen  
frischen Hering und eine Kanne Bier geben lassen /  
und dieser die Zwiebel / bey dem Fenster gelegt / ersehen /  
und vermeinet / es wäre eine gemeine Zwiebel / hat er  
Sie gescheflet / und zum Hering gessen. Idem habet  
Dn. Johann Rist, aliàs der Rüstige / in seinen Monatl.  
Unter-Red. mens. Mart. 1669. von der aller Edelsten  
Thorheit der ganzen Welt / p. m. 183. ubi simul de  
flore quodam, quem Juccam vocant, refert : Illum pro  
quingenta Imperial. p. 48. & pro nonaginta Imp.  
p. 53. venditum fuisse. Liliū verò pro 50. Imp. p. 191.  
& Tulipas pro 2000. aut 3000. florenis. Indeque hanc  
negotiationem cum Martin. Schockio, Profess. Græc.  
vocat Tulipomaniam oder Tulpen-Raserey p. 185. &  
Tulipas das Narren-Kraut p. 188. & passim. *1637*  
S. XI. De hoc verò damnoso florum commer-  
cio,



cio, quod iusti pretii mensuram excedit, & voluptati tantum, atque prodigendis subditorum opibus inservit, optimo jure conqueritur, illudque à Principe vel restringi vel prohiberi posse pro Reip. suæ statu, autumat Ziegler. *de Jur. Majest. cit. loc.* Add. Magn. D. Petrus Müller. *Præsid. Domus illustr. c. 7. posit. 5.* Sed quid de Emptore hoc in casu dicendum, poteritne is ob enorme pro floribus solutum pretium, ex *l. 2. C. de resc. vendit.* agere ad rescissionem contractus? Non puto. Licet enim vel maximè Emptori æque ac Venditori beneficium illud ab Imp. in *l. 2. C. de resc. vend.* propositum, esse tribuendum existimem cum Hahn. *ad Wesenb. tit. de resc. vend. num. 6.* Mevio *Part. 3. dec. 192. n. 2.* Scotan. *ad ff. Diss. 37. tb. 5.* quoniam hic æque facile ac venditor, iniquum pretium offerendo, lædi, imò facilius quàm venditor, in verà rei æstimatione labi potest, utut dissentiant Cujac. *Obs. l. 23. c. 32.* & Merillus *lib. variant. ex Cujac. lib. 2. c. 5. & lib. 6. Obs. c. 6.* Attamen quia emptor tali casu vilissimam rem maximo pretio comparans, sciens in illud consentit, atque sic haudquamquam lædi videatur, juxta *l. 145. de R. J.* quin potius id quod excedit, consultò venditori donasse censeatur, *l. 53. eod.* non poterit is gaudere hoc beneficio, nec auditur rescissionem contractus ob enormem quantitatem pretii soluti petens. Trentac. *l. 3. tit. de Empt. Resol. 3. num. 9.* Tiraquell. *de retr. consangu. §. 1. Gl. 18. num. 14.* Gratian. *Tom. 3. Disc. for. c. 461. n. 28.* Illustr. Struv. *Ex. XXIII. tb. 89.* Licet in diversam abeant sententiam Covarruv. *l. 2. Res. c. 4. n. 2.* Arius Pinellus *ad l. 2. C. de R. V. p. i. c. 2. n. 10. seqq.*

§. XII. (β) Consensu contrahitur obligatio Locatione



tionē conductione, quā usus rei aut opera personæ pro certâ mercede constituitur, prout definit D. Fuchs. *in Paraphr. l. b.* quo pertinet etiam Emphyteusis. §. 3. *l. b.* In Locatione conductione igitur prædii cujusdam voluptarii seu horti, quem quis ad florum culturam certo pretio conduxit, quæritur: Si tempestatis calamitosa vi, aliove modo contigerit, ut conductori nihil planè ex floribus nascatur, aut si erucis *Erdr. Flöh* / aliisque infectis flores fuerint corrupti, quid Locator conductori præstare debeat, & num is teneatur pensionem remittere? Responsionē videre est in *l. 15. §. 2. Locat.* Distinguendū enim, an vis quæ damnum attulit, sit extrinseca, cui resisti non potest, an vitium seu sterilitas oriatur ex ipsa re. Priori casu dominus præstare tenetur colono damnum, posteriori non æquè. Quod tamen, secus est in Emphyteusi, ubi omne damnum pertinet ad colonum, juxta tritum illud, *Si perit res tota, liberabitur emphyteuta, si perit pro parte nulla liberabitur arte.* §. 3. *f. de Loc. Cond.* Ratio diversitatis tum in eo posita est, quòd canon emphyteuticus non solvatur pro usu rei, sed in recognitionem saltem dominii directi. *l. 3. C. de jur. emph.* tum in eo, quòd in locatione conductione ad certum tantummodo tempus colono fundus utendus detur, emphyteutæ verò in perpetuum, *d. §. 3.* atque sic emphyteuta facilius sese recolligere & damnum refarcire queat.

§. XIII. (γ) Consensualium Contractuum tertius est Societas, quando unius rei aut plurium communio- nem quidam mutuo consensu suscipiunt, lucri inde in commune faciendi gratiâ, ineuntq; societatem aut totorum bonorum aut unius alicujus negotiationis. Qui  
toto-



totorum seu omnium bonorum societatem ineunt, communia quoque habent viridaria eorumque usumfructum seu flores. arg. *l. 68. pr. de Leg. 3. l. 19. ff. de hered. inst.* Qui negotiationis florum societatem ineunt, certis inter se pactis, ob operas videlicet aut alia, definire possunt, quantum quisque de lucro capere aut de damno præstare debeat, §. 2. *Inst. b.* Caterum finitur illa iisdem, quibus aliæ societates, modis: nim. (a) renunciatione §. 4. *I. de Societ.* modò ne fiat callidè & ut lucrum unus solus caperet aut habeat: dolus enim nemini prodesse debet. *l. 12. ff. de dolo mal.* (b) morte unius sociorum vel naturali §. 5. vel civili §. 7. *d. t.* (c) fine negotii §. 6. *eod.* Hinc quæritur: si culpâ socii res interierit, aut deteriorata fuerint viridaria, aut flores, aut bulbi, die Zwiebeln/ ut vocant, an teneatur socius resarcire damnum? Sanè si culpa lata intervenerit, quæ dolo æquiparatur *l. 23. ff. de R. J.* tenebitur socius, secus si levi aut levissima. §. f. *I. de Societ.*

§. XIV. (d) Quartus Consensualium Contractuum est Mandatum, quo negotium aliquod gratis committitur & suscipitur gerendum. *l. 1. ff. mandat.* Singulare in hoc contractu est, quod mandatarius non solum dolum sed & omnem culpam, etiam levissimam, præstare teneatur *l. 13. l. 21. C. Mandat. l. 23. ff. de R. J.* Hinc eum, qui mandatum emendi flores, sive eos transportandi suscepit, à præstatione eorum nil nisi casus liberat. Circa hoc negotium quæritur, an mandati actione teneatur, qui flores commendat, aut consilium emendi dat? quod negatur, nisi consilium fuerit fraudulentum. *l. 47. ff. de R. J.* Illustr. Dn. Struv. *Ex. XXII. tb. 8.*

E

Wissenb.





Wissenb. P. I. Diss. 32. th. 3. Schüz. Comp. Lauterb. p. m.  
459. Add. Const. Elect. noviss. 42.

§. XV. Actum huc usque de Contractibus nominatis. Dispiciendum nunc quoque esset de innominatis, quos singulos huc applicari posse liquidò constat. Imprimis cum nihil permutatione apud hortulanos frequentius sit, utpotè quam indies intercedere inter illos communis testatur experientia. Sed per medium (Juris) profundum eunti aut naviganti, ut cum Imperatore nostro §. 2. I. in proëm. loquar, vela contrahenda sunt; quare hisce missis, progredior ad

## CAP. IV.

De

### Delictis circa Flores.

#### SUMMARIA.

- I. Actus civium vel liciti sunt, vel illiciti, seu Delicta.
- II. Delicta sunt vel privata vel publica.
- III. Privatorum quatuor sunt species.
- IV. Furtum committitur in floribus, hujusq; pœna.
- V. Rapina circa flores capitaliter punitur.
- VI. Damnum in floribus dolo malo datum, arbitriam pœnam habet.
- VII. Viridaria juxta plateam habens, cavere debet de damno infecto.
- VIII. In hereditatis petitionem venit damnum circa flores illatum.
- IX. Injuria alteri per flores inferri potest.

X. Virgo



- X. Virgo cui per injuriam sertum detrabitur, an possit injuriantem occidere?
- XI. Vi stuprata puella an possit sertum in capite gerere?
- XII. Homicidium committitur per flores venenosos.
- XIII. Et abortus procuratur per flores.
- XIV. Philtri pœna.
- XV. Flores venenosos, purgantes & menstrua pellen-tes promiscuè vendi prohibentur.
- XVI. Incantatio per flores facta quomodo puniatur?
- XVII. Ariolorum absq; pactione cum demone da-mnum inferentium pœna.
- XVIII. Per flores superstiosè morbos curantium quaenam pœna.
- XIX. Conclusio.

§. I.

**N**egotia & actus civium vel liciti sunt vel illiciti seu delicta. *pr. I. de Obl. qua ex del. nasc.* De licitis longâ actû serie est in *cap. preced.* Restat igitur, ut alterum genus negotiorum, illicitorum nempe aut delictorum consideremus. Est autem delictum in genere, factum in se illicitum immediatè, extra ullius conventionis considerationem, contra Legum prohibitionem spontè commissum, quo ad præstandum quid, patiendumve quis se obligat. *l. 25. §. 1. l. 4. ff. de O. & A. pr. Inst.* *Illust. Dn. Struv. Ex. 48. tb. 2.*

§. II. Delicta variè dividuntur: imprimis autem illa ad quatuor genera revocat *Illust. Dn. Struv. Ex. 48. tb. 13. & Jpr. Rom. G. f. Lib. 3. tit. 23. a. 2.* & dicit, quod alia sint privata, alia extraordinaria, alia popularia, alia publica. Duo autè illorum summa genera constituit Schnobel



*Disp. 24. tb. 1. & cum eo Dn. Fuchs. in Paraphr. Inst. alii que ita, ut sub iis reliqua duo comprehendantur: privata, subdistingventes in ordinaria, extraordinaria & popularia, publica verò in capitalia & non capitalia. Schnob. d. Disp. ad ff. 24. tb. 13. & 14. Alias divisiones habet Schüz. in Comp. Lauterb. tit. de privatis Delictis. p. m. 1035. ea dispescens (a) in Ecclesiastica & Secularia, (b) nominata & innominata, (c) vera & quasi, quæ postrema tandem, in privata, quibus privata, & publica, quibus publica læditur utilitas, & privata rursus in ordinaria & extraordinaria subdistingvit.*

§. III. Privatorum Delictorum, quæ in privatum, adeoq; privatâ ac civili læso competente actione vindicantur, quatuor ab Imper. nostro constituuntur species, quæ sunt: *furtum, rapina, damnum, injuria.* Illustr. Dn. Struv. d. l. Schüz. Comp. Lauterb. Schnob. d. l. quorum tamen primum & ultimum, furtum nempe & injuria, in extraordinaria degenerarunt delicta. *l. f. ff. de furtis. l. f. ff. de Injur.* imò hodiernis moribus cuncta ferè autoritate publicâ vindicantur & puniuntur. Nos retento, quem Dd. habent, ordine, videamus, quæ delicta vel privata vel publica ratione forum committantur.

§. IV. Inter ea delicta primò sese loco sistit furtum, quod est contrectatio fraudulosa lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usûs ejus possessionisve. *l. 1. §. f. ff. de furt. §. 1. l. de Obl. qua ex del.* Cùm verò etiam rei minimæ fiat furtum, uti latè demonstrat Ungebaur. *Exerc. Inst. 13. q. 2.* hinc forum quoque furtum fieri, atque ob id actionem furti dari, affirmare nullus dubito. Delicta enim non ex vilitate objecti, sed ex



voluntate & proposito aestimantur. *c. ult. 14. q. 6.* Atq; huic furto assimilatur, si Locator praedii voluptuarii domino reposcenti illud reddere recuset, is enim fructus seu flores perceptos reddere, vel aestimationem eorum praestare necesse habet. *l. 34. C. de Loc. cond.* Cum factum illud pro invasione & furto possessionis habeatur. Poena autem furantis flores hortenses, puta chariophylla, Amaracum, Rosas, Lilia & horum similes, quanam hodie sit, peti potest ex *Carpzov. Pr. Cr. p. 2. q. 83. n. 27. 28. & 29.* scil. pro ratione circumstantiarum secundum iudicis arbitrium, vel multa pecuniaria, vel carcer, vel etiam relegatio, veluti id clarissimis verbis disposuit Sereniss. Saxon. Elector in *Const. 37. part. 4. in fin.* verb: Die welche andern aus ihren Gärten oder sonstigen Kräuterey als Neglein / Rosmarin / Majoran und dergleichen Blumen oder Sträucher stehlen / mögen mit einer Geld-Buße / zeitlichen Gefängnis / oder nach Belegenheit der Verbrechen / mit Verweisung gestraffet werden &c. Licet verò Berlich. *part. 5. concl. 53. n. 9.* furem saepius hoc crimen circa flores committentem, suspendii poena plectendum esse existimet, nequaquam tamen illud admittit, nec praedictam poenam in capitalem mutari posse statuit, *Carpz. d. l. n. 28.* ob id, quòd de quantitate herbarum ac plantarum ablatarum nunquam ferè certo constare possit. Hinc si de eorum valore constet, ipsiq; flores eorumque bulbi aut frutices majori empti sint pretio, ita ut quinque solidos in Elect. Saxon. aut 20. imperiales in Saxonis terris excedant, omninò poenam quoque capitalem suspendii imponi posse affirmandum videtur, non attentà proportione inter rem ablatam & vitam



humanam: nec enim in pœnarum iniictione commensuranda res est pœnæ, sed potius pœna delicto, Hahn. *ad Wesenb. tit. de furt. n. f. verb. quid quod in coërcenda.* Add. de Justitia pœnæ Laquei hoc fusiùs tractantem, Carpzov. *Pr. Crim. p. 2. q. 77. per tot. & q. 78. num. 76. & seqq.*

§. V. Furtum excipit rapina, quæ alio nomine robbaria, grassatio, deprædatio, imò & Latrocinium audit, licet hoc ultimum à rapina differat, germ. *Straszen-Raub / Puschflepperey / Freybeiterey.* Carpzov. *Pr. Cr. p. 2. q. 90. n. 2. & seqq.* Phil. *Usu pr. Inst. Ecl. II. lib. 4.* & est violenta rei mobilis ablatio dolo malo, palàm facta; Criminis hujus pœna hodiè est capitalis, & in simplici quidem robbariâ absque internecone commissâ gladius dictatur, raptorisque cadauer, imprimis in Saxoniâ, rotæ imponitur, Carpz. *d. l. n. 12. & seqq.* licet res minima rapta fuerit; unde in hoc rapinæ seu deprædationis crimine non tam noxa & damnum per ablationem illatum, quàm violatio securitatis in viâ publicâ attenditur. Carpz. *p. 4. c. 35. d. 4. n. 1.* Philip. *Usu pr. Inst. d. l.* Ex quo infero, eâdem hac pœnâ afficiendum esse, eum qui flores, herbas, plantas &c. vi rapit, imò & eum qui sertum vel ferviam animo rapiendi in viâ publicâ aufert: cujus & quidem prioris exemplum Excell. Dn. Beier, præceptor meus honorandus *in Coll. ff. hic;* allegabat, de nebulone quodam, vulgò *Zippel-Nickel* dicto, qui ob id, quòd mulierculas, qui herbis aut radicibus victum quærebant, *die Salat Weiber* / aggressus, exiguam eis quantitatem raphani maioris, *Merrrettich* / in viâ Vinariensi, *das Mühlthal* dictâ, rapuerat, gladio punitus rotæque fuit impositus.

§. VI. Ra-



§. VI. Rapinam insequitur damnum seu læsio rei alienæ contra jus, dolo aut quavis culpâ etiam levissimâ facta. Pœna hujus delicti quondam erat vel quadruplum vel simplum *l. i. seqq. d. incend. rum. naufr.* hodiè verò arbitraria statuitur. Hinc si quis non quidem lucri, attamen damni faciendi causâ, frutices & plantas florum in horto auferat, evellat, frangat, aut aliter lædat, pœnâ extraordinariâ plerumque plectitur, prout præjudicium tale refert Carpzov. *p. 2. q. 83. n. 32.* Ist verschienenen Sommer Euer Unterthaner / Mahmens M. R. in seines Nachbarn Garten gestiegen / daselbsten Er aus lauter Muthwillen und Frevel die Rosen abgerissen / zerstreuet und verderbet / auch die Melcken Stöcke ausgerissen und zerwület / welches Er dann als Er hierüber vernommen worden / gestanden und bekant &c. so wird Er solches seines begangenen Frevels wegen / nebst Erstattung des Schadens / auf Richterliche Ermäßigung / 12. Tage lang mit Gefängniß gestrafft. B. R. W. Quamvis autem Berlich. *p. 5. Concl. 53. n. 7.* delinquentem hoc in casu, ad solutionem 30. solidorum præter æstimationem plantarum condemnandum esse statuatur, *arg. art. 28. Landr. part. 2. §. Const. Elect. 37. p. 4.* attamen hanc pœnam ob disparitatem rationis, cum nimirum pluris æstimentur arbores fructiferæ quam frutices, & nulla in *dd. text.* fruticum seu plantarum mentio fiat, odia insuper seu pœnæ restringendæ sint *l. 19. ff. de Lib. & post. c. 15. de R. 7. in 6.* ad flores, plantas & frutices extendendam non esse contendit Carpz. *cit. loc. n. 31.*

§. VII. Huc prætereà referri potest, quod de suggrundiis & protectionib9 in ff. habetur, & ad damnū infectum,  
id



id est, nondum factum, quod tamen futurum veremur, pertinet, ob quod cautio, de praestando seu resarciendo damno, si quod contigerit vitio operis, peti potest, *l. 7. pr. d. damn. inf. §. 2. l. de divis. stipul.* Atque hinc facile constat, quid Juris sit circa viridaria & hortos pensiles juxta plateas positos, ubi communiter iter fit, si inde damnum praetereuntibus metuarur? Scilicet tenerieorum dominum cavere, si ex vitio hujus operis, viridariorum sc. damnum accidat, ut illud resarciatur, *l. 19. §. 1. l. 30. §. 2. ff. de damn. inf.* quod tamen non praestat, si casu fortuito, v.g. violentiam ventorum, illud contingat *l. 24. §. 3. ff. d. t.*

§. IIX. Tandem & damni reparationem in petitionem hereditatis venire notandum est, quando illud possessor sua culpa in rebus hereditariis fecit, ut si hortos extra consuetudinem Patrisfamil. defuncti coluit, & sic peiores reddidit, wenn Er die Lust-Gärten verwildern und die Blumen verderben lassen / tunc enim eorum aestimationem praestat. *l. 54. §. 2. ff. de hered. pet.* Sicuti in casu converso, si meliores fecerit, quamvis voluptuarias impensas in hoc prodegerit, eas omnino deducere potest. *l. 39. §. 1. d. tit.* Cum mala fidei possessor, si salva re fieri possit, eas solum tollat. vid. Ill. Dn. Struv. *Ex. 10. th. 62.* Unde etiam viridaria aut rariores flores in hortum illatos tollere aut illorum aestimationem hoc in casu petere poterit b. f. possessor.

§. IX. Ultimum delictorum privatorum ordinariorum est injuria, quando quis alterius dignitatem, honorem, & existimationem per contumeliam dolo malo laedit. *l. 3. §. 1. l. 13. §. 4. in f. & seqq. de injur.* Estque vel realis, quae facto aliquo ad probri & turpitudinis notam comparato committitur, *l. 1. d. t.* vel verbalis, quae fit  
bi  
verbis



verbis ore prolatis. Quoniam verò injuriæ reales infi-  
nitis modis committuntur, quocunque scil. facto con-  
tumelioso, Carpz. p. 2. q. 99. n. 2. & 7. consequitur inde,  
per flores quoq; id fieri posse: cujus quidem exemplum  
constituimus tale, quando fortassè quis virgini honestæ  
aut mulieri herbam, quæ vulvaria dicitur, aut alium gra-  
veolentem seu foetidum florem naribus admoveat, aut  
contritam manibus, chirothecisque illinat, item si e. g.  
matricariam aut similem herbam vel florem, quem aliàs  
gravidæ aut imprægnatæ haud ferre posse creduntur, pu-  
ellæ offerat, ejus virginitatem hoc ipso exploraturus:  
omnibus enim his casibus contra delinquentem inju-  
riarum actionem aut æstimatoriam, aut criminalem ad  
pœnam pro judicis arbitrio imponendam, competere,  
nemo dubitat. §. 10. 1. de Injur. Carpz. d. l. n. 7. Nec libera-  
tur injuriâ afficiens, si vel maximè in posteriori casu vir-  
ginem esse defloratam probare velit, cum veritas obje-  
cti criminis ut in verbalibus, sic & in realibus, non ex-  
cuset delinquentem, sed voluntas magis spectetur & li-  
bido injuriandi l. 5. C. d. injur. & arg. l. un. C. d. fam. libell.  
add. Ord. Crim. art. 110. verb. final. Carpz. p. 2. q. 96. n.  
74. Aliud occasione florum illatæ injuriæ exemplum  
sit, quando quis serviam, einen Blumen-Strauß/ ex  
virginis vel honestæ matronæ sinu libidinose extraxe-  
rit, & violenter rapuerit: talem enim proterviam actio-  
ne injuriarum vindicari posse itidem affirmo, per supra  
allegata apud Carpz. p. 2. q. 99.

§. X. Id ipsum jam porrò magis asserendum erit  
in casu, quo quis virgini sertum aut coronam denKranz  
detrahere audeat, quasi prostibulum sit aut deflora-  
ta, cui sertum gerere prohibitum; talem namque im-  
probam

F

probam



probum & petulantem actione injuriarum promerita-  
que poenâ quilibet facilè dignum reputabit. Id verò  
quæritur: si virgo injuriis ejuscemodi impetita, calore-  
que iræ percita cultello vel alio quopiam instrumento  
injuriantem in continenti percusserit & occiderit, num  
illa poenâ ordinariâ aut extraordinariâ plectenda, an verò  
prorsus absolvenda sit? Ad quam quæstionem breviter  
respondeo: Licet certum sit, quod honor & existimatio  
privatâ auctoritate per injuriam alteri auferri nequeat.  
*l. 5. §. 1. ff. de Extraord. Cogn. l. 3. C. de injur. l. un. in f. C.  
de famos. libell.* Cùm tamen pro defensione non solum,  
corporis sui, sed & rerum & bonorum suorū quis alium  
occidens quodammodo excusetur *l. 1. C. unde vi, l. 3. §. 9. ff. de  
vi & vi arm.* Carpz. *pr. Crim. p. 1. q. 32. n. 14.* fama verò  
sit thesaurus hominis inæstimabilis atque jucundus, &  
sicut lilium det suavitatem odoris, ut loquitur Bald. *in  
l. un. C. de Confess. n. 22.* & cum vitâ pari passu ambulare  
dicatur, quæ certo modo auferri creditur per taliusmodi  
injurias, poenam utique ordinariam hoc in casu cessa-  
re arbitror; præsertim cùm insuper ira, ad quam per  
contumeliam commota fuit virgo, accesserit, quæ ex  
parte excusare solet. *l. 2. C. de abolit. c. si quis iratus. ubi  
Gl. caus. 2. qu. 3.* Et licet Carpz. *pr. Cr. p. 1. q. 30. n. 68. &  
seq.* expressè neget, injuriis laceffitum injuriantem occi-  
dere posse; attamen, ut ex ipsis ej9 verbis videre est, accipi  
id debet de solis injuriis verbalibus, adeoque ad hunc  
casum, ubi reales intercesserunt injuriæ, applicari non  
potest, maximè cùm & ipsemet Imperator in *art. 140.  
Ord. Crim.* famæ rationem in excessu moderaminis in-  
culpatae tutelæ haberi velit: verbis, *Ohne Verletzung  
Leib und Lebens / Ehr und guten Leimuths &c.* quæ  
Quadan-



quadantenus huc referri possunt. Atque hinc, quoties casus accidit, ut quis justâ irâ commotus delictum committat, vel in tantum irâ concitatus fuerit, ut à mente quasi sit alienus, cessare pœnam ordinariam decidit Carpz. *pr. Crim. p. 3. qu. 147. n. 55. 56.* quoniam secundum D. Pii rescriptum in *l. 38. §. 8. ad L. Jul. de adult.* difficillimum est justum dolorem temperare, add. *l. 1. §. pen. ff. L. Corn. de Sicar. l. Gracchus 4. C. ad L. Jul. de adulter.*

§. XI. Occasione horum quæritur: an virgini vi stupratae sertum vel coronam ex floribus confectam portare liceat? quod negat Carpz. *pr. Cr. p. 2. q. 75. n. 83. & 84.* ex hac ratione, quòd ejusmodi sertum signum sit virginitatis non animi sed corporis, quam stuprata amplius nō habet, utut animi virginitatē servaverit. Verum cum ipse Carpz. *in Jpr. Cons. lib. 2. d. 237.* rescriptum Elect. adducat, ubi Consistorium super hoc casu consultū nihil certi determinare voluit, sed circumstantias probè ponderare jussit, hujus utique sententiæ inhærendum erit, & res ita temperanda, ne vel afflictæ ulterior addatur afflictio, vel in Ecclesia scandalum præbeatur. Et tantum de delictis privatis adduxisse sufficiat: quæ autē ex delictis extraordinariis huc referri possint, ex jam dictis, facilè constabit. Pauci nunc subjiciendi sunt casus delictorum publicorum, quæ circa flores aut eorum occasione committi solent.

§. XII. E magno verò delictorum publicorum numero impræsentiarum pauca saltem hic sistere lubet, Veneficium scil. unâ cum abortus poculo, & Incantationem. Omnia enim hæc crimina adhibito nonnunquam florum usu perpetrari, notius est, quàm



ut probatione indigeat. Et prius quidem quod attinet, experientia prohi dolor! comprobat, perditos homines aliorum salutis & vitæ insidiantes, ad perpetrandum hoc facinus, floribus sæpiusculè herbisque, uti venenosis. Tales verò veneficos, si illorum propositum effectum habuerit, morte puniendos esse, non minus ac si propriis manibus quem occidissent, nemo negabit, adstipulante præsertim jure tam civili antiquo in *l. 1. pr. §. 1. ad L. Corn. d. Sic. l. 28. §. 9. eod.* quàm moderno Imperii, in *Ord. Crim. art. 130.* Et civili quidem jure gladii pœna obtinere videtur, hodierno verò Rota dictari solet, & sic graviore quadam pœna hujus delicti Reus plectitur, quam simplex homicida, cum plus sit hominem extinguere veneno, quàm gladio occidere, *l. 1. C. de mathem. & malef. vid. Carpzov. Pr. Crim. p. 1. qu. 20. n. 22. seqq.*

§. XIII. Similis huic delicto est Partus abactio, quæ ut plurimum per herbas, flores horumque radices peragitur. De cujus facinoris pœnâ aliàs disquirunt Dd. an ea debeat esse capitalis, an mitior, corporis sc. afflictiva, aut relegatio? Vid. Menoch. *lib. 2. arb. jud. qu. cent. 4. cas. 357. num. 9.* Obtinuit tamen communiter illa sententia, quâ inter Partum animatum & non animatum distinguunt, ita ut illum abigens pœnâ ordinariâ Legis Corneliæ de Sicariis, quæ est gladius afficiatur; abortum verò inanimati foetus procurans extraordinariè saltem pro judicis arbitrio puniatur. Vid. Carpzov. *Pr. Crim. p. 1. qu. 11. num. 2.* Habetur autem partus vitalis, postquam medium à conceptione, tempus fuit præterlapsum. Carpz. *p. 4. Const. 4. d. 1.*

§. XIV.



§. XIV. Optimo jure huc referre licet Philtra,  
ad amorem conciliandum ex floribus confecta, alteri-  
que præbita: Hæc enim si solus effectus amoris sequa-  
tur, philtrum propinantem extra ordinẽ puniri æquum  
erit. Vid. Excell. D. Simon. *de Amor. venenato. tb. 37.*  
Sin verò mors inde evenerit, probamus omninò sen-  
tentiam Pauli in *l. 38. §. 5. de pæn.* qui vult: ut qui ab-  
ortionis aut amatorium poculum dant, & eo mulierem  
aut hominẽ perdunt, ultimo supplicio afficiantur. Cum  
quo facit Illustr. Dn. Struv. *Ex. 48. tb. 8. & DD. quam-*  
*plurimi allegati à D. Simon. d. Disp. tb. 41.*

§. XV. Ne autem abortus ejusmodi, de quibus  
præcedenti thesi actum, committantur, & occasio præ-  
ripiatur malevolis tam sibi quàm aliis nocendi, opti-  
ma ratione in benè constitutis Rebuspublicis prohibi-  
tam reperimus à provido Magistratu venditionem flo-  
rum aliarumque herbarum vim purgandi fortio-  
rem, aut depellendi vel similem efficaciam habentium: vel  
uti sic constitutum legitur in der Lüneburgis. Apothe-  
cker-Ordnung d. An. 1606. cap. 4. art. 1. verb: Gifftige  
Arzneyen und treibende/ gefährliche Kräuter. Nec  
non in *Ordinat. Officin. Isenac. art. 19.* ubi hæc ha-  
bentur verba: Die jenigen Sachen/ so außershalb ih-  
res rechten Gebrauchs/ wahre Gifft seyn/ auch gar  
starck purgiren/ und die Menstrua oder Geburt beför-  
dern/ sollen die Apothecker und Materialisten bey ho-  
her Straffe keinem Dienst-Gesinde/ noch verdächti-  
gen oder frembden und unbekandten Personen her-  
ausgeben. Rigorosius id inculcat *Ord. Polit. Magde-*  
*burg. cap. 6. §. Desgleichen. ib: Desgleichen soll auch*



niemandes / Er sey auch wer er wolle / Mannes oder  
Weibes Personen / Menses provocantia, oder den  
gravidis nachtheilige Medicamenta, simplicia oder  
composita, Er bringe denn von einem Medico ordi-  
nario ein von Ihm geschriebenes Recept, verkaufft  
werden.

§. XVI. Quantum ad Veneficii, in latiori sensu sic  
dicti, vel incantationis crimē attinet, dubium quidē cum  
Schrödero *de Lamis p. m. 29. & 30.* alicui suboriri pos-  
set, an plantis, herbis aut floribus tanta insit efficacia,  
ut effectus præternaturales, quos à Strygibus perpetrari  
videmus, producant. Verū cum Magos & Sagos o-  
pera sua adjuvante Diabolo peragant, cui semet ex-  
presso pacto manciparunt, mirandum non est, si per-  
mittente Deo, ex rebus etiam naturalibus effectus qui-  
dam præter naturam exsurgat, qui tamen primariò  
non est tribuendus rebus istis, sed sublimiori potestati  
Dæmoni concessæ. Vid. Carpz. *pr. Crim. p. 1. qu. 48.*  
*n. 61.* Quod si igitur inventus fuerit ejusmodi male-  
ficus, aut malefica, per herbas, flores similesque res vi-  
gore pacti cum Dæmone iniri, hominibus pecudibusq;  
nocens, ultimo supplicio hunc affici debere, juri tam di-  
vino quam humano consona est sententia, veluti & in  
eos hodiè ignis pœna statuta est, quam latè propugnat  
Carpz. *cit. p. 1. qu. 49.*

§. XVII. Ab his tamen Veneficis differunt Ari-  
oli illi, qui citra pactionem cum Diabolo artibus saltem  
magicis damnum hominibus inferunt, quos proinde  
non quidem è medio tollendos, attamen gladio justè  
puniendos esse docet prælaudatus Carpzov. *p. 1. qu. 50.*  
per



per tot. Quorsum refero exemplum, quod idem adducit in *J. E. p. 4. C. 2. def. 9.* de vetula quadam, quæ magicis artibus, adhibendo certas herbas, illasque in olla coquendo, virum quendam per hircum ad se portari fecerat. Quamvis eo casum fustigationem tantum dictatam fuisse, idem memoret.

§. XIIX. Discernendi denique sunt à veneficorum grege, qui absq; foedere Satânico remediis saltē superstitiosis adhibitis ut plurimum floribus & herbis, admistisq; certis verbis aut characterib9, morbos avertere conantur. Cujus exemplum ex actis præfecturæ Isenacensis compertum habeo, quando A. R. W. accusabatur, daß sie die Elben / oder böse zehrende Dinger durch etliche Reiserger von einem schwarzen Kirsch-Baume / so sie in einen Stuz Wasser geworffen / vertrieben: Item. Daß sie durch neunnerley Kreutrich / similiter per tres herbarum species, als Beyfuß / rohten Dosten und Feld-Poley / die man mit einem rohten Faden binden / unter den Kopff legen und anhängen müssen / die Krankheiten vertrieben. Tales autem poenâ non nisi extraordinariâ, veluti Carcerere, relegatione ad summum fustigatione & dignos judicat Carpz. d. 9v. 50. Add. Eund. p. 2. dec. 185.

§. XIX. Sed hæc delibata florum Legalia sufficiant. Vela igitur contraho, Deumque teroptimum terq; maximum, cui tum ob omnia in me collata beneficia, tum & quod in præsentî negotio benigno adesse mihi volucrit, sit laus honor & gloria, ardentibus imploro precibus ut infinitæ clementiæ suæ aurâ florentissimâ ac viridissimam rutam Saxoniam afflare, & contra omnes



omnes fortunæ procellas fortissimè protegere velit, quò  
sub ejusdem umbra & Athenæ nostræ Salanæ, & tota  
Resp. literaria, tum & charissima patria omnesque bo-  
ni contra quævis calamitatum atque injuriarum  
venena serventur ac defendantur

diutissime.

FINIS.





01 A. 6517

ULB Halle 3  
002 937 565




TA-FL.


V. 17 Retro ✓











XXVI.  
D. A. G.  
DISSERTATIONEM  
DE  
JVRE FLORVM,  
Vom  
Blumen = Rechte.

PRAESIDE  
DN. CHRISTIANO WILDVOGEL,  
JCTO, SERENISSIMORVM FRATRVM DVCVM  
SAXO-VINARIENSIVM CONSILIARIO AVLICO,  
PANDECTARVM PROFESSORE PVBLICO,  
CVRIAE PROVINCIALIS, NEC NON  
FACVLTATIS JVRIDICAE ET  
SCABINATVS ADSESSORE  
GRAVISSIMO.

IN ALMA SALANA

*Publicae placidaeque Eruditorum Disquisitioni  
submittit*

JOHANNESGEORGIVS DOEHLE R,  
Iffennac.  
A. & R.

MENSE NOVEMBRI  
AN. O. R. M DC. XCI.

—————  
IENAE, typis SAM, ADOLPH, MVLLERI.

